

exhibet, attendenda erit, vidimus enim, quantum illi in ponendo versuum numero in Pentateucho, Psalmis, &c. dissentiant, & aberrant.

## §. X.

A Codicibus MStis ad impressos pedem promovemus, inter quos primo loco nominanda sunt Biblia Hebraica, Chaldaica & Rabbinica, quæ Venetiis cura R. Jacobi Chajim Anno 1526. & 1549. in fol. ex officina Daniel. Bomberg. prodierunt. Quoniam R. Jacob Chajim suorum traditiones cum reliquis Judæis magni fecit, non miramur, quod textum hebræum secundum Masoræ hodiernæ præcepta emendatum ediderit. Inde factum, ut nostri versus, de quibus controversia inter eruditos agitur, in his Codicibus omitterentur, ne Judæus contra majorum traditiones temere peccaret. Insigni sua eruditione celebris Buxtorf. secundum editionem Bombergianam secundumque easdem Masoræ leges, Rabbinica Biblia erudito Orbi donavit in fol. anno 1619. in quibus nostri versus pariter deficiunt. Eorum loco adjectam reperimus annotationem hanc in margine:

ש ספר מוגה בהם  
וממטה ראובן את בצר ועי  
ובכר הספ המדוייקי הישנים  
לנת נמצא ועיין פירי הקמחי  
וגם במסר עיין כי בשמונה  
כח את לנת נמצא אלו  
בכלין יזו ראה גרולה:

*Sunt libri, in quibus a Correctore additum est: Et ex tribu Ruben, Bezer &c. Sed in nullis Codicibus accuratis & vetustis hæc inveniuntur, vide Commentar. R. Dav. Kimchi & Masoram, quam inspicere, & apparebit, si numeres 28. אה istius Capituli, hæc tria אה duorum versuum in numeratis non*

*comprehendi, atque hæc ratio gravis est.*

Duæ obtenduntur rationes, quibus versuum nostrorum omissionem excusant. Prima est Kimchii Autoritas,

tas,